

cum Livius stantem rempublicam atque incolumem nominis Romani maiestatem vidisset, Tacitus iacentem libertatem, submissum populum conspexit, ut non modo imperatores sine lege, sine iure saevientes toleranter perferret, sed iis quoque sese addiceret serviliter et in deorum numero haberet. Itaque cum tamquam praeconium aeternumque Romanae testimonium amplitudinis Titi Livii annales fuissent, Taciti opera probi hominis atque honesti quaedam quasi exsecratio improbitatis et ignaviae contemptio dicenda est.

LXV. Non defuerunt nonnulli existimatores, qui nimio partium et libertatis studio malefacta imperatorum a Tacito exaggerata esse putaverint, neque critici quidam leviores, qui mendacem et calumniatorem illum putantes, imperatores sordibus suis expurgare conati sint, vel saltem a gravioribus criminibus defendere. Boni iudicis voluntatem scriptorisque auctoritatemi defendendam esse non censeo; integer Tacitus est, in iudiciis ferendis iudex aequus et intelligens atque humanitate plenissimus. Hinc illum puto incredibili doloris sensu commotum, res veras inscientem nolentemque colore illo tragico depinxisse, qui male de eius fide existimandi criticis quibusdam fecit copiam. Cum veteribus scriptoribus equidem consentio: cum Plinio Caecilio, qui eloquentissimum illum et immortalitatis datorem appellat, cum Orosio, qui, et 11. 17; IV., 13. 10; VI., 16. 20 alibi Oros. 7. 10;

*Sidon.*

*Paneg.*

*Anthem.* 192.  
et *Carm.* 23.

154.

Plin. II.  
*Epist.* 1-16  
et 11. 17; IV.,  
13. 10; VI.,  
16. 20 alibi  
*Oros.* 7. 10;  
*Sidon.*  
*Paneg.*  
*Anthem.* 192.  
et *Carm.* 23.  
154.

illumin et immortalitatis datorem appellat, cum Sidonio, qui nulli ori tacendum esse dicit. A Casaubono dissentio, qui magnum quidem et acerrimi virum ingenii illum censet atque novae cuiusdam gravis, concisae, sententiosae eloquentiae genere praeditum, verumtamen principem rerum scriptorum esse negat, quia dignam ei tanta facultate materiam tempora negaverint, qua illos provocare potuerit. Inepte quidem, nam non egregia et illustria tantum facinora commendat historia, sed, quae vera sunt, indagat, et eo modo, qui hominibus dignus sit, ne rerum suarum mentes veternus occupet, narrat posteritati.

## ORATORES ET RHETORES

LXVI. Oratores hac aetate nulos invenio; nam cum publica potestas et imperium in unum eundemque impotentem principem cessisset, extincta populi Romani voce et libertate, forum quoque, quod fuerat eloquentiae palaestra quaedam atque celeberrimum quasi disceptationum civilium theatrum, desertum atque penitus vastatum conticuit. Ipsum oratoris nomen intercidit, nam etiam hi, qui versabantur in causis, causidici potius, patroni, rabulae, advocati, quam oratores appellati sunt. In verae et perfectae eloquentiae locum, qua antea inter patres et cives clarissimos de legibus condendis, de republicaque bene administranda disceptabatur, genus illud successit tenue, vacuum, ineptum declamationum, quibus continenter septem Urbis colles et vacuae Tiberis ripae vel altae aeriaeque Frontonis platani magis magisque in dies personuerunt. In aliquo tamen numero et honore, imperante Tiberio, *P. Vitellius* fuit, cuius oratione in Cn. Pisonem animadversum est, qui de tristi Germanici morte accusabatur. Cum hoc duo alii fuere, *Votienus Montanus*, Narbonensis, qui a Tiberio in insulas Baleares exilio missus est, *M. Aemilius Scaurus*, qui, cum in Tiberii suspicionem venisset, quam sibi parari mortem intellegerat, suapte manu intulit. Apud imperatores multum gratia et favore valere coeperunt homines nequissimi, qui eloquentiam — si hoc nomine turpissima in arte indicis uti licet — nobilissimam liberae quandam civitatis alumnam, falsis accusationibus et delationibus adhibebant ad innocentissimum quemque hominem clarum contra ius fasque in iudicium vocandum. In his *P. Suillius* recensendus, homo venalis, qui sub Claudio fuit, in his quoque *Eprius Marcellus* et *Vibius Crispus*, qui incredibile est quantam, Nerone stulte imperante, pecuniam

*Sene. IX.*  
*Cont. 5. 17;*  
*X, in Praef.*

*Tac. Dial. 8;*  
*XVI. Ann.*  
*26; II. Hist.*  
95.

sibi comparaverint. Cum his adnumerari possunt *Tiberius*, *Caligola*, *Claudius*, qui, astante populo, loqui soliti erant; *Nero*, qui orationes a *Seneca* exaratas pronunciabat; nam, extincta reipublicae libertate, in civibus et litteris servis, non oratores, sed uno tempore innumerabiles peregrini et in Urbe nati rhetores inepti provenerunt. *M. Porcius Latro*, *Hispanus*, *C. Albucius Silus*, *Novariensis*, *Arellius Fuscus*, *Smyrnaeus*, *L. Caestius Pius*, *Asiaticus*, *L. Iunius Gallio*, alii, eorum princeps *Seneca*, qui rhetor appellatur, certatim in scholis totam aetatem rhetoricae docuerunt.

*Sen. II.*  
*Contr. in*  
*Praef. et 10.*  
*8: Suet Rhet*  
*6: Id. pass.*  
*alib.*

LXVII. Vir hic insignis *M. Annaeus Seneca* Cordubae natus est anno a. Chr. n. tertio, equestri, nobili veterique familia. Cum Romam, Augusto imperante, venisset, litteras et dicendi artem edidicit atque ad extremam usque aetatem professus est. Eius nomen filiis tribus, quos ex *Helvia* suscepit, primo *L. Annaeo Seneca philosopho*, de quo paulo post sum dicturus, secundo *L. Annaeo Mela*, Lucani poetae parente, cuius supra meminimus, tertio *Novato*, qui postea ex adoptione *Iunius Gallio* appellatus est, multo sane clarius est quam voluminibus rhetoricas orationes continentibus, quas, exacta iam aetate, ut liberorum desiderio indulgeret, composuisse certo constat. Aetate ante acta de bellis civilibus historiam conscriperat, ex qua, si esset, germanum rhetoris Hispani ingenium et natura fortasse pateret. Eius controversiae et suasoriae orationes exstant, at nequaquam omnes. Ex libris enim decem, in quos eas redegerat, tertius, quartus, quintus, octavus evanuerunt; ceteri vero sunt, sed locis nonnullis lacunosi. In controversiis complurium auctorum utriusque linguae dicta, sententias, divisiones, colores colligit et inter sese confert; verum quaestiones ineptas atque vacuas pertractat, quae a ceteris rhetoribus ad domesticum usum atque umbratilem discipulorum exercitationem ex fictis rebus et ex argumentis futilibus conflari solebant. Res nibilominus ipsas leves atque humiles

gravibus sententiis, vividis imaginibus, luminibus interdum verborum, quae ad res diversas significandas transfert, poetarum ornamenti distinguit, quamquam non sine fuso aliquo granditatis atque vividiore Hispano colore, sub quo rerum mediocritatem et tenuitatem animi solet occultare.

M. FABIUS QUINTILIANUS ET C PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

LXVIII. Muneri suo et officio, qualia ex multa veterum lectione tunc fuisse noverat, cum floreret, eloquentiam restituere conatus est *M. Fabius Quintilianus*, praestantissimo vir ingenio praeditus omniq[ue] doctrina imbutus. Calagurri in Hispania citeriore natus p. Chr. n. quadragesimo altero anno, antequam e pueris excessit a Galba Romam perductus est, ut Hieronymus refert, atque in foro aliquandiu versatus non mediocri cum laude. Oratores, qui tunc in honore erant summo, Domitium Afrum<sup>1</sup>, Iulium Africanum, M. Galerium Tracalum, Servilium Nonianum, Iulium Secundum maxime coluit. Deinde, rhetoricam artem quo melius profiteretur, scholam aperuit, primusque, Hieronymo auctore, stipendium ex aerario publice accepit. Eloquentiae ac sapientiae fama auctus, maximo puerorum concursu frequentari coepit; inter hos Plinius Caecilius Secundus erat. Hanc autem ob famam Clementis Flavii rogatu, Domitiani patruelis, dignitate consulari donatus est. Post Clementis necem, qui per mortem acceptam fidem in Christum testatus est, Domitiani sororis nepotum instituendorum curam cum suscepisset, nec forum reliquit nec ludum, sed in utroque viginti annorum spatio versatus est. Multo usu multoque studio et industria cum se ad eloquentiam eiusque artem applicisset, auctor veris in causis praestantissimus et in notandis animadvertisendisque et in instituendo edocendoque scriptor atque prudentissimus magister evasit. Impensam operam dedit, ut nimis vane

*Auson.* I.  
*Profess.* 7.

*Quint.* X.  
*Inst.* 12, 12;  
*V.*, 7, 7.

*Plin.* II.  
*Epist.* 14  
*VI.*, 6.

*Quint.*  
*Prooem.* 4.

sonantes oratores et sermonem barbarie infusantes reprimeret eosque extra Latinas ripas diffluentes coerceret. Quo munere, quamquam consequi non potuit id, quod intenderat animo, satis eum egregie esse perfunctum ex libris iis colligimus, in quibus senex, Victorii Marcelli rogatu, puerorum rationem instituendorum et artem in syntagmate exposuit, quam quotidiano usu et exercitatione in scholis invenerat.

*Quint. III.  
Inst. I. 22;  
V., 1. 3. et 12.  
15. et passim*

*De institutio-  
ne oratoria  
libri XII.*

*Quint. I.  
Inst. 1.*

LXIX. In hisce duodecim libris, qui « *De institutione oratoria* » inscribuntur, non eloquendi modo artem ex tritis rhetorum praeceptis et partitionibus tradit, sed prout ars et ratio expostulat, quae puerorum institutione continetur, quae et qualia principia, quae rudimenta pueris in pueritia tradenda sint, statuit et explicat. Videlicet vir et praeceptor insignis bonos architectos imitatus est, qui si solidam molem exstruere volunt, in operis initio talia fundamenta ponunt, quibus, ne concidat, aedificium firmiter innitatur. Puerum suum ab incunabulis excipiendum esse docet eundemque sensim gradatimque artibus, disciplinis, legibus et praeceptis per varias aetas et gradus erudiendum conformandumque, ut, cum ad maturitatem pervenerit, imaginem et perfectam eius oratoris in se speciem gerat, qui ex Catonis sententia vir bonus sit idemque dicendi peritus. « *Quidam litteris instituendos qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati non posset. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante grammaticum Aristophanem fuerunt; nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc invenitur negavit esse huius poetae. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus. Nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad litteras aetas, quae ad mores iam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor,*

*tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus; sed tamen mihi, qui dissenserunt, videntur non tam discentibus in hac parte quam docentibus pepercisse.* Rem suam subtilem sane atque laboriosam e fundamentis ordiens, in quo ars et ratio puerorum instituendorum posita sit, primo quaerit; tum eam paeceptoribus esse summopere necessariam docet, quo natura indolesque puerorum eius ope facilius cognoscatur. Necessariam ait: iis enim studiis pueri ac disciplinis instituendi sunt, ad quae sua sponte trahuntur, ut in iis, nullis calcaribus fere adhibitis, gradus et progressus faciant. Huc quoque spectat locus, in quo peracute disceptat, utrum in publicis potius scholis an in paternis et domesticis umbraculis institui pueri debeant; spectant huc, quae de disciplinarum generibus tradit, eas hoc proposito partiens, ut ex uniuscuiusque generis natura et difficultate distinguat, quae disciplinae ante rhetoris officium, quae post, ex ordine sint imparienda. Haec et cetera alia, quae in primo libro institutionum pertractantur, cum ante Quintilianum nullus rhetor, nullus sapiens, ne Cicero quidem, qui in rebus istiusmodi satis videbat — nec quisquam etiam eorum, qui ad exeuntem usque medium aetatem post eum in eodem genere versati sunt — tanta intelligentia tantoque usu indagaverit, praecipuam, mea quidem sententia, causam exhibent, cur magister primus Fabius et paeceptor clarissimus habeatur.

LXX. In ceteris vero Institutionum libris Ciceronem auctorem et magistrum secutus, omnes artis rhetoricae partes tradit. Erudi homines atque litterati ex omnibus decimum in deliciis habent; optimo quidem iure, inquam; nam in enumerandis auctoribus recensendisque, quos in exemplum pueris profert imitandos, de unoquoque peracute et quam verissime iudicat. Hic liber hodie, cum rhetoricae artis studia in desuetudinem venerint, in manibus criticorum versatur, quia ex eius lectione, tamquam ex unico fonte, multae et variae de Latinis Graecisque litteris notitiae eruuntur. Sub

*Liber decimus litterarum Graecarum et Latinarum notitiam continens*

*Declamationes*

*Dialogus de corrupta eloquentia*  
*Sermones*  
*Artis rhetoricae libri*

*Mart. II.*  
*Epigr. 9.*

Quintiliani quoque nomine ad patrum nostrorum usque memoriam « *Declamationes* » quaedam duobus libris collectae circumferebantur atque valde laudabantur, quas eruditii, qui nunc sunt, Calagurritano rhetore prorsus indignas et ab alio ad illum translatas putant. Istarum aliae undeviginti numero sunt maiores, aliae ad centum quadraginta amplius breviores. At fato adverso « *Dialogus de corrupta eloquentia* » quem sua manu scripserat, intercidit, tum « *Sermones* » et « *Artis rhetoricae libri duo* » evanuerunt, qui, eo in foro dicente, vel in acroasi docente, notis quam velocissime scriptis, a discipulis excepti editi sunt. Quanti autem Quintilianus apud aequales fuerit ex *Martialis epigrammate* intelligi potest:

*Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,  
Gloria Romanae, Quintiliane, togae.*

LXXI. Inter Quintiliani discipulos *C. Plinius Secundus* nominandus est, qui *Iunior* eo appellatur, ut a Plinio Maiore, de quo supra quaedam tradidimus, avunculo suo distinguatur. Novi Comi, ad Larium lacum, Plinius Iunior sexagesimo aut primo aut altero p. Chr. n. anno natus est. Fratre amiso, sub Verginii Rusi tutela fuit, qui euni secum etiam adulescentulum in Urbem contulit, ibique, ab avuncolo suo Plinio adoptatus, litteras atque rhetoricae a Quintiliano perdidicit. Undeviginti vixdum annos natus in foro dicere orsus est; paulo post in Syria stipendia meruit. Inde autem reversus celeriter ad maiores causas adhiberi coepitus est, quas apud centum viros et in senatu multa laude egit. Capi- tis periculum, Domitiano saeve imperante, cum adiisset, apud Traianum, qui moderate imperium regebat, tanta floruit gratia, ut per omnes honorum gradus ad consulatum et ad procunsularem Bithyniae potestatem ascenderet. Ex Quintili- liani itaque schola et tamquam ingenuorum morum officina profectus, eo animo et candido et constanti et magno excel- soque fuit, ut non in Quintiliani tantum deliciis esset, sed

et familiarissime Suetonio, Silio Italico, Martiale, Tacito praesertim uteretur, cuius se pluries in epistulis consuetudine gloriatur. Calpurniam uxorem duxit, mulierem egregiam, acutam, doctrinis imbutam, cuius peramanter in epistulis suis imaginem reliquit expressam. Liberaliter divitiis, quibus ultra modum abundabat, usus, bibliothecam in patria urbe et litterarios ludos instituit, eruditorum hominum inopiam humaniter levavit atque sustentavit. Villis multis gaudebat, quas in epistulis memorat : « *Huius in litore plures villaे meae, sed due maxime ut delectant ita exercent. Altera imposita saxis, more baiano, lacum prospicit; altera, aeque more baiano, lacum tangit. Itaque illam tragoediam, hanc appellare comoediam soleo, illam, quod quasi cothurnis, hunc, quod quasi socculis sustinetur.* ».

Plin. IX.  
Epist. 7. 2.

Traiani Pa-  
negyricus

LXXII. Litteris natura et ingenio deditus, earum genera fere omnia delibavit. Fabulam tragicam ex ipsius auctoris epistulis Graece scripsisse novimus, et iambos, elegos, epica carmina, epigrammata transtulisse, quae quidem, praeter versus nonnullos, citius evanuerunt. Ex orationibus item pulcherrimis, quas conscripsit, si « *Traiani Panegyricum* » excipias, nihil praeter laudem et famam exstat. Hic Traiani laudationem continet, qui centesimo p. Chr. n. anno consulari dignitate Plinium donavit. Ex consuetudine agendarum ob honorem acceptum gratiarum principi, qui auctoritate sua populi favorem conciliavisset, non propter virtutes modo privatas et domesticas Traianum laudibus cumulavit, sed res ab eo domi militiaeque gestas, bella, expeditiones memoravit. Laudationibus quidem Panegyricus abundat, nihilominus si iudicium de eo ferre velis prae oculis habendum post Domitiani mortem ponuiciatum fuisse, cuius clades Christianorum in orbe terrarum iussas perterriti cives recordabantur; quibus de causis profecto ab ineptis et foedissimis laudationibus panegyricus seiungendus ac probe distinguendus est. Nolim tamen aliquis ex eo sententiam de tota Plinii eloquentia

ferat; habet enim artificii in se aliquid atque insinceri et pinguius sonantis oratio, quae in celebrandis hominum laudibus est; oratoriis contra nervis caret, qui ex concitatione animorum, ex odio, ex invidia colliguntur et commoventur.

LXXXIII. Nomini et scriptoris famae melius « *Epistulae* » profecto consulunt ad familiares, ad uxorem, ad amicos, ad privatos, ad Tacitum missae, quae novem libris continentur. In decimo sunt, quas muneric officiique causa ad Traianum scripsit. Se ipsum, qualis reapse fuit, in litteris exhibet; nam varios animi sensus quam sincerissime in aliis effundit; in aliis de rebus variis aetatis, de oratoribus, de poetis, de clarorum virorum morte, de miserandis Christianorum cladibus, de terraemotis, de eruptionibus vulcanorum loquitur; in aliis res suas, otia, studia narrat, rura, villas, flumina describit. Imaginem temporum quodammodo insciens adumbrat vel etiam ad verum ex parte exprimit. Clitumnum fontem coloribus vividissimis depingit, ex cuius descriptione spiritum ad carmen elatissimum componendum hausit Carduccius noster:

C. PLINIUS ROMANO SUO S.

*Vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum — et puto nondum; alioqui narrasses mihi — vide quem ego — paenitent tarditatis meae — proxime vidi. Modicus collis ad surgit antiqua cupresso nemorosus et opacus. Hunc subter exit fons et exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et vitreus, ut numerare iactas stipes et relucentis calculos possis. Inde non loci devexitate sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur fons adhuc et iam amplissimum flumen atque etiam navium patiens, quas obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes transmittit et perfert, adeo validus, ut illa, qua properat ipse, quamquam per solum planum, remis non adiuventur, idem aegerrime remis contisque superetur*

*adversus. Iucundum utrumque per iocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore varia-  
re. Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas per-  
spicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. Rigor  
aquaæ certaverit nivibus, nec color cedit. Adiacet templum  
priscum et religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus ornatus-  
que praetexta. Praesens numen atque etiam satidicum in-  
dicunt sortes. Sparsa sunt circa sacella complura totidemque  
di. Sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam vero etiam  
fontes ». Plinianae epistulae quae de iisdem rebus agunt,  
solent cum Ciceronianis epistulis conferri, quibus non ita longe  
inferiores sunt, ut orationibus illius huius Panegyricus. In  
Ciceronianis stilus nulla arte, nisi quaé optimi scriptoris  
nativa sit, nullo studio exquisitus delectat; non enim Arpinas  
litteras scribebat ut ederentur. In Plinianis epistulis genus  
dicendi floridum est, concinnum, expolitum, necessario longe  
limatius, neque tamen satietatem facit, quin potius litteratos  
homines eruditione ipsa delectat. Litteras suas Plinius vel  
dedita opera edendas exaravit, vel ad umbelicum retractavit et  
limavit, antequam foras emitterentur. Iudicium ex compa-  
ratione ipse de se protulit: « *Praeterea nec materia plura  
scribendi dabatur. Neque enim eadem nostram condicio quae  
M. Tulli, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim et copio-  
sissimum ingenium, et par ingenio qua varietas rerum qua  
magnitudo largissime suppotebat, nos quam angustis termi-  
nis claudamur, etiam tacente me, perspicis, nisi forte volumus  
scholasticas tibi et, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere ».**

Plin. IX.  
Epist. 2. 2.

#### SAPIENTES VIRI PHILOSOPHIQUE SENECA

LXXIV. In exiguo sane sapientium numero, qui saeculo primo p. Chr. n. fuerunt, viri quidam clarissimi honoris causa nominandi sunt, qui cum nulla praecepta atque inventa

*Sapientes  
viri, qui elato  
animo tem-  
porum tulere  
iniurias*

philosophorum scripturis suis mandaverint, tales sive probe vivendo sive stoico more moriendo constantis animi cives se praestiterunt, ut ex stoicorum fontibus et disciplinis illam sapientiam hausisse videantur, quam sanctitate vitae mortisque crudelissimae contemplatione comprobarunt. In his mihi *Julius Canus*, vir in primis magnus, et *Rubellius Plautus* occurrunt; hic capite a Nerone damnatus aequo fortique animo vitam finivit, quam fuga, sed cum infamia, servare potuerat; ille decem ante mortem dies hilaris cum transegisset, postquam de animorum immortalitate cum interfectoribus extremis horis vitae sapienter locutus est, morti subridens gratae occubuit. In stoicorum doctrinis *L. Annaeus Cornutus*, *C. Musonius Rufus*, *Barea Soranus*, *Thrasea Paetus*, *Elvidius Priscus* sese abdiderunt, aliique, qui, patria probrosis ab imperatoribus occupata, cum magis magisque in dies libertate cives ac dignitate spoliarentur, totam bene vivendi vim in animi magnitudine ac robore et in rerum omnium humana- rum contemplatione ponendam esse censuerunt. Itaque, cum in otio atque silentio philosophorum quaestiones litteris Graecis mandarent, alii alia de causa vel exilii, vel capitis poena multati, quantum in rebus adversis hominibus sapientia prodesset, usu et eventibus experti sunt! Ab his penitus distinguendus est *P. Egnatius Celer*, qui fiete stoicorum sapientiam simulateque professus est, ut eius dignitate nequissimum tegeret animum. Veterator hic atque simulator Berytensis eam stoicorum philosophiam coluit, quam una cum munere delatoris atque officio coniungeret; itaque ex effatis eorundem philosophorum vitae commoda et delicias consideravit, ut ea multis quidem verbis atque specie tenus aspernaretur, eaque tamen, nulla amicitiae officiique habita religione, per detrimenta et civium clarissimorum necem 33 et 3. 116; exquireret et insectaretur. «*Stoicus delator*» Juvenalis verbis Tac. IV. utar «*Baream occidit amicum discipulumque senex*» eiusque Histor. 10.40. filiam, quos Neroni falsi criminis arcessitos detulit.

LXXV. Ex scripturis philosophorum, quos modo memoriavi, vel pauca admodum fragmenta apud veteres rerum scriptores alligata repperiri possunt. Sed ecce in manibus, varia quidem atque ponderosa eorum principis *L. Annaei Senecae* volumina, quae non eius sapientiam tantum referunt sed imaginem istorum etiam temporum atque curam satis effingunt. Cordubae *L. Annaeus Seneca* circa tertium a. Chr. n. annum ortus est, patre *Annaeo Seneca* rhetore, quem paulo supra memoravi, matre autem *Helvia* nobili genere et egregie cordata foemina. *Puerulus*. cum fratribus a parentibus Romam translatus in parietibus domesticis patre magistro optimo usus est, quem multa variaque eruditione superavit statim. Quamvis ab eloquentia prorsus alienus non esset, a foro tamen eum avocarunt periculum vitae, in quod *Caligula* imperante incurrit atque corporis infirmitas. Hac de causa vitae pertaesus, de morte inferenda, cum secum perpendere coepisset, philosophiae studium saluti fuit, in quod impense laudatissimos nanctus magistros incubuit, inter quos *Attalum Stoicum*, *Sotionem Alexandrinum*, *Demetrium Cynicum*, *Pariprium Fabianum* invenio. Eodem tempore familiariter *Lucilio*, *Nonio Prisco*, *Fabio Rustico* usus est, quorum amicitia ad eius salutem contulit. Ex uxore, quam primam habuit, duos filios exceperit, quorum prior in *Helviae* manibus infra vigesimum vitae diem obiit, alter puer amabilis fuit, pro quo vota fundebat, ut sibi post mortem superesset. Domesticata tamen dum felicitate fruitur et *Helviae* matris amore gaudet et materterae maximeque *Pompeiae Paullinae*, quam in matrimonium, post prioris uxoris obitum, iuvenili aetate duxerat, per vesanam *Messalinae* invidiam, in Corsicam exilio missus est, velut si conscious adulteriorum esset, vel quod adulterii cum *Iulia Germanici* filia accusaretur. Post octo annos *Agrippinae* favore inde revocatus est, quae ei *Neronem*, quippe qui imperator futurus esset, instituendum atque erudiendum commisit. In sua disciplina septem annos *Neronem*

*Senec. de  
Ira 19.*

*Senec. Cons.  
ad Helv.  
2 et 16.*

*Schol. ad  
Iuven. 509;  
Suet. Claud.  
29; Tacit.  
VIII. Ann.  
42; Dion.  
60. 8.*

habuit, neque illius mores, prava indeole et natura obstante, ita correxit aut emendavit, ut in omne sceleris genus tandem non prorumperet. Nihilominus quamdiu postea apud eum gratia et consilio valuit, tamdiu imperium satis recte est administratum; per Neronis quinquennium illud inquam, quo res Romana in melius felicissime verti visa est. At quinquagesimo quinto p. Chr. n. anno mutatio in imperatoris aula maxima facta est; Agrippina mater eius Urbe amota est, veneno Britannicus e medio sublatus, paulo post Burrhus, quem Seneca frustra defenderat; hac defensione sibi vitae discrimen fecit, nam per Cleonicum sui ipsius libertum Nero venenum propinandum curavit, quod cum effugisset reliquissetque Curiam et domi se abdidisset, *pane sicco vescebatur et sine mensa prandio, post quod non erant lavanda manus.* Miserationem sane movent haec et lugenda cetera, quae de se in epistulis narrat ad Lucilium: « *Totus dies* » ait « *inter stratum lectionemque divisus est; minimum exercitationi corporis datum: et hoc nomine ago gratias senectuti: non magno mihi constat; cum me movi, lassus sum.* ». Sensu ipso ac luce in solitudine illa et quasi carceris custodia carens, nihil cogitat, nihil sperat. « *Epistula tua* » ad Lucilium rescribens inquit « *delectavit me, et marcescentem excitavit memoria quoque meam, quae mihi iam segnis et lenta est, evocavit.* ».

*Senec. Epist. 67.*

*Senec. Epist. 74; conf. 26 et 77.*

LXXVI. Facta interea L. Calpurnii Pisonis coniuratio est conscientrumque nomina ab indice quodam Natale delata. Hinc Nero, ut austriorem et graviorem scelerum et facinorum suorum testem atque censorem e medio tolleret, *quando venenum non processerat, ferro eius interimendi occasionem malam praetexuit.* Falsa Natalis delatione, ac si vera esset, usus, centurionem quendam ex praetorianis cohortibus ire ad Senecam iussit, qui mortem ei nunciaret. Quam rem cum audivisset statuisseque aequo animo ac fortiter sibi esse moriendum, porrectis manibus, servis imperavit, ut sibi venas incidenter. Aderat Paullina uxor, quae, ne viro suo superesset,

*Tac. 15.  
Ann. 62.*

eandem sibi mortem inferri cupivit. Verum ne id fieret ab imperatore operibus interdictum. Inter moriendum Seneca, scribis vocatis, de morte sapienter obeunda multa eloquenter dictavit, quae Taciti etiam aetate avidissime perlegebantur et admirationem fletumque movebant.

LXXVII. Ingenio quo Seneca fuit multiplici, multa cum cumulavisset industria, librorum bibliothecam fere confecit. Ex his pars maior, eodem auctoris fato gravissimo usa, saeculorum incuria intercidit; peregrina, quae manet, ea nihilominus est, ut egregium sane eius doctrinae praebat documentum. In hac parte, praeter fabulas tragicas atque Ἀποκολοκύντωσιν, de quibus paulo supra locuti sumus, sunt qui «*Dialogorum libri XII*» universe inscribuntur, quamquam singuli singulis nominibus distinguuntur. Primus «*De providentia*» est, in quo de ratione disserit, qua Deus bona ac mala in mundo aequum in modum componens, scite sapienterque regit atque tuetur. Secundus «*De constantia sapientis*» agit, qui nulla re ne iniuriis quidem aut rebus adversis movetur. Tertius, quartus, quintus «*De ira*» deque remediis pertractant. In sexto «*Consolatio ad Marciam*» continetur, quam in luctu Metilii filii scripsit. In ceteris ad decimum ex ordine «*De vita beata*» «*De otio aut secessu sapientis*» «*De animi tranquillitate*» «*De vitae brevitate*» multa sapienter disputantur. In undecimo «*Consolatio ad Helviam matrem*» continetur, quam, in exilio cum esset, ad matrem remisit. In duodecimo «*Consolatio ad Polybium*» libertum Claudii, qui gravi propter acerbum fratris obitum dolore affiebatur. Cum dialogis «*De clementia libri III*» ad Neronem missi exstant, tum «*De beneficiis libri IV*» ad Aebutium Liberalem, et «*Naturalium quaestionum libri VII*» et «*Epistularum moralium libri XX*» ad Lucilium.

*Libri, qui philosophiam de moribus pertractant*

LXXVIII. Partem philosophiae illam, quae in hominum moribus in virtutibus vitiisque animi cum pervestigandis et describendis, tum emendandis castigandisque versatur, fuisse

*Peculiaris  
ars et ratio  
praeceptorum  
tradendorum*

a Seneca pertractatam ex librorum titulis colligitur. Quae-  
stionibus, quae ad rerum naturam cognoscendam spectant, non alia de causa delectatur quam quod doctrinae de mo-  
ribus exponendae occasionem praebent. Praecepta ita tradit,  
ut exemplis potius quam ratiocinationibus utatur et ad vitae  
usum quam maxime aptet atque accommodet. Ob temporum  
diversitatem non eadem Seneca de hominum vita cogitat  
quae Cicero senserat. Hic tametsi spe sit destitutus, quod  
inclinantes Romanas res videat, virtutem tamen ex patria  
institutione in agendo sitam esse demonstrat; ille contra  
sapientis esse censet, ut se ab omnibus negotiis abstineat  
studiisque et rerum contemplatione vacet, in quibus perfecta  
animi tranquillitas invenitur. Hinc factum est, ut Cicero ad  
homines omnes praesertim Romanos praecepta sapientiae  
accommodari voluerit; Seneca ad singulos tantum, ad Serenum,  
ad Paulinum, ad Marcellinum, ad Liberalem, ad Lucilium,  
ad alios se verterit, quos pro uniuscuiusque natura edocen-  
dos et ad virtutem conformandos spectaverit. Non Seneca  
coetum hominum atque societatem universam pree oculis  
habuit, quam praecipiendo atque docendo emendaret, sed  
singulos homines et ab aliis distinctos ita instituit, ut rebus  
humanis sive secundis, sive adversis constanti animo sese  
fortique obicientes, ex perfecta sapientium ratione bene  
beateque vivere discerent. Hanc ob causam stoicorum para-  
doxa iactanter insectatus est, quae reconditis multis sententiis  
exquisitissimisque, atque dicendi genere presso, conciso  
rettulit, quo rerum, quas docet, granditatem quam brevissimis  
claudit verbis. Disputationes eius et quaestiones de iisdem  
rebus usque sunt, quae ad domesticam hominum vivendi  
rationem pertinent; in hominibus enim singulis erudiendis  
versantur itaque struuntur, ut ad stoicorum morem sententiis  
suis novis, quae minus expectentur, et a communi sensu  
abhorrentibus solvantur. Paradoxis contra communem homi-  
num opinionem incredibili mentis acie excogitatis Seneca

*Rebus mag  
quam verbi  
studet*

gaudet, tamquam si multis saeculis ante aetatem, quae esset sua, natus, cum sectis et philosophorum scholis, quae multos annos post eum duo abhinc saecula floruerunt, tempore et institutione distans incredibili doctrinarum novitate contendere velit easque praevertere quasi. Orationis elegantia et concinnitate non caruit, sed sua genuina, cuius ope non verborum luminibus potius quam rebus summo studio conquisitis eius nitet oratio. In motibus animorum reconditis percipiendis atque notandis subtilissimus fuit, in virtutisque fundamentis statuendis non ingenio tantum promptus, sed usu exercitatus. *Virtutem quidem penes nos esse, ad quam omnia, quae in hominum vita sunt, vitamque ipsam laudatam pertinere posse existimat.* Quae omnia superiores Stoici docuerant quidem; attamen singulari quodam animi ardore Seneca praecipit, ut fractos hominum animos ex immensa vitiorum voragine in dignitatem, quae naturae suae consentanea sit, erigere et confirmare cupivisse videatur, sapientiae munimentis eos undique circumsepiens quasi exercitus in castris, quo bonorum finem eundem semper esse noscant. Quod quidem si non assecutus est, cum nondum homines inter se diligerent — non enim Christi lux orbem illustraverat — tamen nobilissima Romanorum ingenia ita instruxit et confirmavit, ut, quibus malis obsistere contra nequirent, ea velut ex munitissimo sapientiae praesidio et quasi arce respicientes a se averterent vel patienter tolerarent.

## DE GRAMMATICIS CETERISQUE DISCIPLINIS

LXXIX. In omni eruditionis genere et grammaticorum disciplinis, praeter Tacitum, Quintilianum, Plinium utrumque, quorum opera supra recensuimus, complures huius aetatis homines versati sunt. In his *Iulus Modestus* est atque

*Pomponius Marcellus*, C. Iulii Hygini libertus. Prior patroni vestigia secutus « *Confusarum quaestionum* » edidit libros quosdam, quorum secundum Gellius laudat, ex quo de equo Seiani historiam refert. Scripsit etiam opusculum quoddam

Gell. IV.

Noct. Att. 9.

« *De seriis* » inscriptum et poetas Horatium atque Virgilium interpretatus est. Eius tamen, si fragmenta pauca excipias, nihil nobis superfuit. Secundus vero, Pomponius, orationis vitia ex quotidiana consuetudine in litteratorum usum iam irrepentia ita acerbe insectatus est, ut in proverbium tamquam sermonis Latini exactorem molestissimum apud omnes venerit. Qui quidem, cum in ore Tiberii imperatoris vocabulum quoddam novum deprehendisset, ut munere suo etiam tum fangeretur « *Tu, Caesar,* » inquit « *civitatem dare potes hominibus, verbo non potes* ». Etiam *Claudius* in numero recenseri potest grammaticorum, qui antequam imperio est adeptus recte scribendi scientiam coluerit. Hic veteribus litteris tres novas addendas esse censebat, ut vocabulorum scriptura ad sonum, qui in vocibus pronunciandis reapse retinuit, magis accederet. Item ad Graecorum scribendi rationem in diphthongi *ae* loco diphthongum *ai* adhibendam esse arbitrabatur. Usus meliorem causam illa nanetus est, quam Claudio, etiam cum imperator est factus, multis ratione cinationibus attulit. Cum his *Q. Rhemnius Palaemon* fuit, Persii Quintilianique magister, qui cum, Suetonio testante, *infamis omnibus vitiis* esset, incredibili memoriter retinendi quae legeret, facultate atque versuum extemporaliter copia fundendorum celebrabatur. « *Ars grammatica* » et « *Carmen de ponderibus et mensuris* » huic tribuuntur, ex quibus multa cum Charisius tum Diomedes grammatici depromperunt.

Suet. Gramm.

23.

LXXX. Sub Vespasiano imperatore *Q. Asconius Pedianus* et *M. Valerius Probus* floruerunt, uterque rhetor et grammaticus eruditissimus. Alter enim pulcherrimos in orationes quasdam Ciceronis commentarios, qui etiam nunc exstant, stilo puro et supra grammaticum composuit. Alter vero,

Probus, postquam militia functus est, mirum est quantum in grammaticorum quaestiunculis elaboraverit. Lucretii poemata, nec non Terentii, Virgilii, Horatii, Persii, tempore et incuria corrupta, ad pristinam integritatem et formam restituit, emendataque animadversionibus, scholiis locupletavit, quo facilius intelligi possent. Artem quoque illam docuit, in libro «*De notis*» inscripto, quae uno Graeco nomine *tachigraphia* dicitur, ex qua quam citissime pronunciata vel dictata scribuntur. Eadem aetate *Aemilius Asper* fuisse videtur, qui Terentium, Virgilium, Sallustium commentatus est; eius exstant ex «*Virgilianis quaestionibus*» fragmenta. Traiano imperante, simul *Flavius Caper* et *Velius Longus* floruerunt; hic praeter alia commentariolum «*De usu antiquae locutionis*» scripsit, quod Gellius memorat, et notulis notitiisque Virgilium illustravit, quorum reliquias, quae exstant, A. Maius in Virgilii commentariis affert; ille duos libellos, alterum «*De orthographia*» alterum «*De verbis dubiis*» composuit, ex quibus excerpta et ab epitomatore resecta et in unum collecta supersunt.

Gell. 18. 9.

LXXXI. Cum grammaticorum disciplinis iuris quoque cognitio atque interpretatio in honore esse coepit. Eruditissimi iurisconsulti, ne sub imperatoribus quidem esse destiterunt, qui scientiae huius in primis Romanae splendorem atque dignitatem togae tuerentur. Post rerum confusionem, quae iura, leges, mores, rempublicam ipsam, instituta permiscuit, novae iurisconsultorum scholae ortae sunt, quae civibus universis haud parum profuerunt. *Masurius Sabinus* Capitonis discipulus, quem supra memoravimus, iuris notitia ceteros superavit. Accepta enim a Tiberio publice respondendi facultate non modo ad eum civium concursus factus est, sed discipulorum quoque, qui in patriis legibus et iure cognoscendis versabantur. In communem igitur usum tres libros «*Iuris civilis*» scripsit, duos «*Responsorum*» quinque commentarios «*Ad edictum praetoris urbani*» aliud «*De*

Scholae iuris  
consultorumPomp. Dig.  
1. 2. 2.

*indigenis* » alios de aliis rebus et quaestionibus, quorum in Digestis et in Codice frequens mentio. Eum discipuli auctorem praecipuum interpretati cum essent Sabiniani, vel ex Cassio, Longini ipsius discipulo, Cassiani appellati sunt. Sabino adversarius eadem aetate *Sempronius Proculus* fuit ex Coccei Nervae et Labeonis disciplina profectus, qui in Pandectis saepissime laudatur. Ab eo Proculianus *Celsi*, pater et filius, vocati sunt, *Pegasus interpres legum sanctissimus Priscus Neratius*, alii, qui eiusdem scholae fuerunt.

Juv. Sat.

4.79.

LXXXII. Etiam sub Tiberio *A. Cornelius Celsus* fuit, qui cum scientias omnes et disciplinas summo studio coluissebat, nullum fere genus intentatum reliquit. Catonis et Varronis vestigia ingressus opus unum confecit « *Artes* » inscriptum, in quo de agris colendis, de arte rhetorica, de sapientia, de iure omni, de re militari, de medicina summatim agebatur. Ex hac disciplinarum corona octo « *De re medica* » libri supersunt, pereleganter conscripti, qui in omnium manibus patrum nostrorum memoria versabantur. Propter nitidum sermonem et purgatissimum, quo in scribendo utitur, *Cicero medicus* appellatus est, idemque ob egregia artis medicae praecepta *Latinus Hippocrates*. Cum eodem clarissimus alias medicus *Scribonius Largus* fuit idemque libertus; librum « *De compositionibus medicamentorum* » confecit genere et forma orationis aetate sua admodum indignum. Hac eadem aetate *M. Apicius*, qui ita ligurritionibus, cibis delicatis, cuppediis deditus fuit, ut a Plinio *nepotum omnium altissimus gurses* appellatus sit. Artem, quam in culinis noverat, edacibus hominibus et gulosis profuturam ratus novo litterarum monumento commendatam voluit. Eius praecepta de re coquinaria in libro « *De opsoniis et condimentis* » reperiuntur, qui, cum verbis multis barbariem sonantibus obscuretur, temporibus, quae subsecuta sunt, accessionibus interpolatus esse videtur. In Traiani aetatem viri eruditissimi duo *Sex. Julius Frontinus* atque *Hyginus* inciderunt, qui ex

Plin. X. 68.1.

Libri de re culinaria

vulgari communique agrorum dimetiendorum usu rationem deduxerunt, quae geometricis formis continetur. Uterque enim commentarios scripsit, in quibus geometriam totam tradebat. Illius exstant excerpta ex libris duobus, quae profecto posteram ad aetatem pertinent; alterius fragmenta supersunt trium tantum librorum, qui « *De limitibus, de condicionibus agrorum de generibus controversiarum* » inscribebantur. Cum his in eodem scientiae genere versati sunt *Balbus*, qui « *Expositionem et rationem omnium formarum* » docuit; *Siculus Flaccus*, cuius superest « *De condicionibus agrorum* » libellus, *Frontinus Hyginusque*, qui commentariola laudatissima de rebus militaribus confecerunt; huius libellus « *De castramentatione* » seu etiam « *De munitionibus castrorum* » inscriptus ad nos initio mutilus pervenit. Item illius opus singulare tribus libris constans manet, quibus incerto ab auctore quartus « *Strategemata* » inscriptus adiectus est, quo callida consilia militaria impertitur ad hostem circumveniendum et superandum idonea. Eiusdem *Frontini* commentarii duo « *De aquis urbis Remae* » supersunt, insigne peculiaris artis monumentum, ex qua Romani primi vel per cuniculos sub terra effosso, vel opere arcuato aquas in Urbem e longinquis fontibus convectas duxerunt.

LXXXIII. Etiam disciplina, quae in describendis regionibus terrarum posita est, gradus aliquot fecit *Pomponii Melae* opera, qui sub Claudio floruit. Vir hic Hispanus mutant terrarum descriptionem, quam in Agrippae porticibus pictam conspexerat, notitiis ex rerum scriptoribus haustis illustravit. Confecit tres libros, omni genere eruditiois refertos, quos « *De chorographia* » vel, ut nonnulli volunt, « *De situ orbis* » inscripsit. Perspicua in hoc opere orationis brevitate utitur optimo scriptore digna; neque florida verborum elegantia caret, quae modum ipsum excedit, qui in re « *impedita et facundiae minime capaci* » apud eiusdem rei scriptores inveniri solet. Ceterum litterae omnes et artes

*Libri ad  
geometricam  
spectantes*

*Libri de re  
militari*

*De chorogra-  
phia*

communi gravoque malo hac imperatorum aetate laborant, quod non in hominum singolorum condicionibus deprehenditur, sed in ipso universae reipublicae statu consistit. Libertate videlicet homines et republica carent, quae animos ad sensu suos privatos aperte exprimendos moveat et impellat, quae eos, ne periculum faciant, legibus et iure tueatur, quae igniculos dignitatis, virtutis foveat atque incendat. Servitus et abiectione, in quam nolentes imperatorum arbitrio senatus et populus conciderunt, gravem litterarum mutationem fecit in corruptelam mox inclinantem, ex qua scriptores admodum pauci effugere. Litterarum dannum scientiarum auctio pensavit, nam progressus in omnem naturalium, mathematicarum, geographicarum, grammaticarum rerum partem memoravimus, quibus Taciti sententia de temporibus suis innititur: «*Nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.*»

Tac. III.

Ann. 55.

LIBER QUINTUS DE LITTERARUM LATINARUM  
SENIO A TRAIANI OBITU AD CCCCLXXVI. ANNUM  
P. CHR. N. QUO URBS AB ODOACRE EXPUGNATA EST

DE IMPERII STATU AD EXTREMAM FORTUNAM AFFLICTO

I. Amplitudinem atque magnificentiam nominis Romani, cuius etiam sub uno vel altero imperatorum, qui a Tiberio ad Traianum fuerunt, species quaedam manserat et umbra, post tristem huius obitum mente animoque frustra requiri mus. Hac enim aetate Romana res integrae conquassatione et perturbatione valetudinis pereunda laborat. Herilis dominatio ingravescens atque in dies molestior, una cum immoderatissima militum licentia, non tantum quidquid ex iure, ex senatu, civitatis praesidiis et munimento, reliquum erat pervertit atque pessum dedit, sed etiam civium dignitatem singulorum, virtutem, constantiam labefecit abrogavitque et ad condicionem deterrimam futurorum servorum ab apice honoris civitatem gentium omnium dominam et quasi reginam corruptam et depudicatam abiecit atque prostravit.

*Herilis dominatio et militum licentia.*

II. In imperatorum serie, qui a Traiano ad Urbem a barbaris captam dominati sunt, nullus invenitur, qui tanti tamque vasti imperii regendi capax fuit. Si Antoninos, si Constantinum exercipias, qui in principibus de Romano imperio bene meritis numerandi sunt, ceteri maxima ex parte imbecilles vel socordes vel crudeles et inhumani fuere, aut hebetes mente ineptique honorumque cupidiores, quam reipublicae studiosiores. Imperatores ipsi, qui in aetatem imperii auream, quae dici solet, inciderunt, nihil aut non multum adiumento rebus inclinantibus fuere. Hadrianus, qui in Traiani loco suffectus est, aedificiis, templis Urbem quidem ornavit, at provincias trans Euphratrem et Tigrim barbaris diripiendas reliquit. Antoninus, qui nuncupatus est

*Imperatores  
inepti aut  
crudeles*

*Pius, pacis studio indulxit, ut malle se unum civem servare*  
*Fron. 9. Hist. quam mille hostes occidere dicere solitus esset. M. Aurelius*  
*litteris Graecis insignis fuit, sed ad bella gerenda ineptus,*  
*siquidem, cum ad Aquileiam usque venisset, barbaris iisque*  
*territis pacem concesserit. Commodus immanitate, ferocia,*  
*dementia Neronem provocavit; dum enim Britanni murum*  
*ad fines imperii transgrediuntur currus vehere solitus erat*  
*iussitque Romam urbem Coloniam Commodiam atque se*  
*fictam propter fortitudinem Herculem appellari. Imperatores,*  
*qui subsecuti sunt, non magis militibus imperitabant, quam*  
*a praetorianis imperitabantur. Etenim, cum a legionibus*  
*perennes ob largitiones pecuniae principes renunciarentur,*  
*cuique legionum libidini se permittebant, quae ad dignitatem*  
*promovissent. Hinc factum est, ut effrenatos moderatis,*  
*mercenarios gratuitis, religiosis impios homines anteferrent,*  
*et potestatem, qua accepissent facilitate, eadem amitterent.*  
*Senescentibus Romanis, barbarorum crevit insolentia, ut*  
*in imperii fines irrumperent Urbemque captam vastarent.*

*Christiano.*  
*rum*  
*dignitas*  
*et decus*

III. Multitudo vero, perpetua servitute enervata, cum  
 plagis asinino more perferendis assuevisset, legibus, iure,  
 conscientia ipsa sponte sua se abdicavit, seque tyrannorum  
 ad voluntatem transduxit. Si quid virtutis superfuit, dignitatis,  
 decoris in abiecta servorum multitudine viguit, quae prima  
 humanam Christi divinamque doctrinam secuta est. In actis  
 martyrum, quos dicimus, insignia fortis constantisque animi  
 documenta leguntur. Hi enim nihil minas pertimescentes  
 eorum, qui suas de rebus divinis opiniones haud leniter  
 ferebant, non solum verbis de novae religionis sanctitate  
 testimonium exhibuerunt, sed suo laeti Christum sanguine  
 confessi morte conscientiam nobilissimam suam defendere  
 atque constantius tueri dignitatem maluerunt, ut confossi,  
 obtruncati, contrucidati, mortui de vivis triumpharent.

IV. Imperio marcescente haud multum loci esse litteris  
 potuit. Etenim ingenia, si qua altiora provenere, cum nullum

esset iis praemium, exaruerunt. Quam maxime tamen iuris scientia viguit et orationis genus illud, quo Christi asseciae eruditii religionem pro viribus suam defenderunt. Eloquentia eas vires saeculorum transcursu ex sapientia Romanorum sumpserat, ut neque vis neque arma neque imperatorum arbitrium extinguere potuerit. Apologetica, quae ad iura defendenda nata est, Christianorum eloquentiae novum granditatis sonum illis etiam condicionibus addidit. Latinus sermo, qui iam a nativa puritate deflexerat ex Latio egressus peregrinitate atque barbarie infuscatus est. Praecipui enim scriptores huius aetatis, cum in Gallia, in Hispania, in Africa nati essent, vocabula sua in Latinas litteras invexerunt, alia ex novo excuderunt, alia ad alia significanda traiecerunt, alia antiquitatem redolentia et obsoleta in usum revocaverunt. At, cum barbarorum turbae populorum, quae sine tectis, sine sedibus, sine cultu trans Rhenum vagabant, a septentrionibus in imperii regiones ad meridiem in Africam patentes omnia evertentes irruperunt, litterae tunc, artes ingenuae, cultus et humanitas, ne penitus vastarentur, in coenobiis summis montibus impositis se abdiderunt. Paucorum anachoretarum amanuensium curis commissae membranaceis in chartulis linteisque millenariam fere per aetatem delituerunt, velut ignis sub cineribus calorem et lucem retinens sempiternus, quoad vir egregius Romano sanguine concretus Latinitatis exstitit praeco et futurorum concitator temporum. Latinitatem e latibulis Franciscus Petrarcha in lucem evocavit, suopte ingenio et eruditione, sumptibus, itineribus, conquisitionibus, gentibus, quae aetate sua fuerunt, quae nunc sunt, divino dono restituit, ut immanitatis tenebras perpetuo disperderet.

*Latinus  
sermo  
corrumptitur*

## DE EPICIS CARMINIBUS

V. Epici poetae, qui Papinium Statium aetate consecuti sunt, furoris afflatu et divino mentis ardore caruerunt, ex

quibus et incitata et vehemens fit carminum forma et tamquam ex igne oratio inflammatur. Rebus enim propter ignaviam et socordiam temporum penitus afflictis et profligatis, nullam vim rerum ante actarum memoria et recordatio in hominum mentes habebat, quas naturalis quidam praesentium rerum dolor occupaverat, neque, corrupti cum essent mores et civitas prolapsa, vir talis exstitit vel poeta, qui singularem quandam herois imaginem animo conciperet et obcaecatas mentes virtutis atque perfectionis illustraret lumine. Hanc ob causam genus epicae poesis ducentos amplius annos vel defuit, vel, qui in eo versati sunt, versus factitarunt, non carmina epica condiderunt. In istis versuum conditoribus *Alfius Avitus* ponendus est, qui quibus annis vixerit, summa est inter scriptores controversia, quamquam eius aetas circa annum ducentesimum p. Chr. n. incidisse videtur. Hic, cum hexametros reliquisset, qui ante eum in rebus gestis celebrandis adhibebantur, versibus iambicis dimetris usus, poematum confecit « *Excellentium libros* » inscriptum, in quo Livianas pedetemptim narrationes rettulit. Eius, praeter epigramma

*Libri excellentium*

*Victor.* 3. 17.  
12.

*Anthol.*  
*Lat. n.* 125.

quod in Anthologia Latina continetur, exstat fragmentum de ludi magistro, qui liberos Faliscorum principum prodidit.

**VI.** Ineptius exemplum imitatus *Rufus Festus Avienus*, qui postero saeculo fuit, Virgilii fabulas, verbis ex verbis expressis, nec non Livium versibus iambicis repetivit. De hoc nunc satis; de eo enim paulo poste iterum locuturi sumus. Paulo aetate inferior *Gordianus* poeta fuit, qui cum filio, senex cum esset, ab exercitibus in Africa anno p. Chr. n. ducentesimo duodequadragesimo imperator creatus est atque statim interfectus. Hic aduluscens etiam tum magnum poema triginta libris constans confecit, quod « *Antoninius* » inscribatur. Videlicet in illo, ut res ab Aenea gestas Virgilius et Statius, quae Achilles fecerat, celebravit, res Antonini Pii et Antonini philosophi poetice narratione continua prosecutus est. Aliquot annis post eum, ut videtur — nam haud satis

*Antoninius*

*Iul. Capit.*  
*Gord. tres.* 3.